

iure terra, præscriptionem longi temporis definiunt annis trecentis, rotundo planè numero, exactiori autem calculo minor numerus prædicit. Id sæpè fit in confinio duorum principum, ut vnus annus vtriq; tribuatur totus, etiam si alter paucos menses, & dies etiam paucos sibi vendicet. qua ratione euenit, ut Rhegino Pontificum, & Imperatorum Romanorum annos conferens, per annos 800. discrepantiam annorum quadraginta circiter offenderit. Tropo item Synecdochis finitima est Anacephalæosis, id est recapitulatio, siue hylterologia, quum ordo naturalis in exponendis rebus non seruetur. Vnde Chronographi, qui hanc Scripturæ sanctæ figuram non obseruauerunt Genes. 12. Abrahamum euocatum putant è patria septuagesimo quinto ætatis anno. Idem euenit in lib. Iudic. in rebus Davidis, & alibi sæpius. Illis quoque adiungenda est mutatio termini Regnorū, ut Hierem. 29. cap. quartus annus Regis Ioachim, dicitur primus annus Regis Nabuchodonozor. Et rursum aliquot annis interiectis Daniel. 2. ponitur secundus annus Nabuchodonozor, sed alia relatione, quàm in Hieremias sermonibus. Addere potes nec inter Regnorū habitam saltem accuratè rationem: quæ tamen sub Iudicum imperio, ob frequentes populi lapsus, annorum seriem sæpius interrumpunt. Tandem varietas nominum sæpè fallit incautos in ratione temporum, quando plures homines cognomines sunt, aut vnus multa habet nomina. Etenim plures Ægypti Reges dicuntur Pharaones, plures Palæstini Reges Abimelechi, plures Persici Reges Artaxerxes, aut Darij: quæ nomina, dum congeruntur in vnum principem, non mediocres pariunt confusiones. Postremò, ut Melchior Canus animaduertit locor. Theologic. libro II. ex iis qui populo à Moyse ad Salomonem præfuerunt, quatuor sunt quorum tempora nusquam scriptura verus manifestè annotauit, Iosue, Samgar, Samuel, & Saül, has puto causas præcipuas, ob quas Chronologia turbata est.

Melchior  
Canus.

Qua tempo-  
ribus Etel.  
& Samuelis  
apud exte-  
ras nationes  
euenisse cre-  
dantur, &

Cæterum, quemcūque numerum diuersi statuunt, ferè eadem de tempore Heli præfecturæ predicant, nempe eum statim ab excidio Troiæ præfuisse, annis circiter 402. ante Romam conditam. quo tempore, si Chytræo credimus, concurrunt historiæ Gentilium, nimirum Thucydidis lib. I. Herodoti autem quartus & quintus, sed & Francum de genere Hectoris venisse

A in Pannoniam fabulantur, inquit Genebrardus in Chronico, illicque regnum constituisse, quòd progressu temporis in Franciam Germaniæ, postremò in Franciam Gallie transierit. Errant autem, quoniam nec Galli, nec Gallorum Reges, siue è Troianis siue è Germanis descendunt, sed sunt indigenæ. Dicti autem Franci, labente Romano Imperio, vel quia pro libertate nomen illud sumpserunt, quòd vernacula lingua liberum etiam hodie significat: vel quia Francos seu Francones Germaniæ perpetuò vice- runt. Nam Romani nunquam de Transhenanis sine Gallis triumphauerunt, vel eorum opus videatur Germanos vincere, quemadmodum Scipionum Pœnos. Hæc Genebrardus. De quo fortassis quispiam non immeritò dicere possit, quod in alium quempiam olim iactatum est:

*Dum laudat cives doctos, dum despicit hostes,*

*Nec malus est cinis, nec bonus historicus.*

Alioquin enim Francos indigenas esse maiorum nostrorum videtur testimonio pernegari. Testis Saluanus Massiliensis Presbyter, qui ea ætate floruit quo illi in Gallias eruperunt: quorum mores, quos etiamnum in nobis agnoscimus, pluribus locis graphicè depinxit, ne nos ex eorum posteris esse negaremus. Nam si adeam leuitatem ingenij, quam Cæsar in nostris hominibus antea notauerat, accedat peierandi indefessa libido, dicere possis Gallum Cæsaris cum Franco Saluiani in vnum coaluisse. Francos autem Saluanus semper inter eas gentes recenset, quæ suo tempore ab Aquilone profecta, Gallias depopulata sunt. Quo tempore Franci necdum fidem imbuerant, aut Christo nomen dederant: sed adhuc Gentilium Deorum superstitione, atque infamia laborabant. De his libro 4. de gubernatione Dei. Si peieret Francus, quid noui faceret? qui perituum ipsum sermonis genus putat esse, non criminis. Et iterum libro 7. Franci mendaces, sed hospitales. Diuersa quoque veste vsos à Gallis vsque ad Caroli Magni tempora docet Verimbertus in vita Caroli Magni à quodam Monacho S. Galli conscripta, qui vtriusque gentis indumenta ibidem describit: quemadmodum refert Pithæus in glossario dictionum capituli Caroli Magni, & aliorum Regum verbo, *Saga*. Postremò florente adhuc Imperio, Francorum meminit Trebellius in Gallieno, Vopiscus in Proculo, siue Probo.

qua gentilibus  
historie co-  
currunt.  
Origo Fran-  
corum.  
Genebrardus.

Franci non  
sunt indigenæ  
Saluanus  
Lirincensis  
Monachus.

Vita Caroli  
Mag. à quodam  
Monacho S. Galli.  
Pithæus.